64

existens. Florentini vero futuram infamiam quiescere potius optabant quam illatam iniuriam valde sessi incipere vindicare. Cum autem permissione Dei qui iniuriam illatam sibi quandoque per alios ulciscitur, non rogatos, cum urbevetani mercatores cum bestiis et rebus aliis per districtum Florentie secure transirent, domini castelli predicti obviam venientes eisdem, ipsos de rebus omnibus expoliant in Dei et hominum contumeliam et Florentinorum iniuriam non modicam et gravamen res ipsas ac si pertinerent ad eos iure dominii distrahere posse credentes et in suos usus ac si essent magnis laboribus acquisite convertere. Urbetani vero ut provincie diuturni mores expostulant cum fuissent in districtu Florentie sibi restitui res ablatas instantissime postulant. Dominans autem civitatis cum nulla obstaret exceptio, litteras direxit dominis